et sanctos suos: in eternum conserua-
buntur. Iniusti punientur: et semen
impiorum peribit. Iusti autem hereditabunt terram:
et inhabitabunt in seculum seculi super eam. Os
iusti meditabitur sapientiam: et lingua
eius loquetur iudicium. Lex dei eius
in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus eius.
Considerat peccator iustum: et querit
mortificare eum. Dominus autem non derelinquet
eum in manibus eius: nec damnabit
eum cum iudicabitur illi. Expecta dominum
et custodi uiam eius: et exaltabit te ut
hereditate capias terram: cum perierint peccatores
uidebis. Vidi impium superexaltatum:
et eleuatum sicut cedros libani. Et transiui
et ecce non erat: quesiui eum et non est
inuentus locus eius. Custodi innocentiam
et uide equitatem: quoniam sunt reliquie homini
pacifico. Iniusti autem disperibunt simul:
reliquie impiorum interibunt. Salus autem
iustorum a domino: et protector eorum in tempore
tribulationis. Et adiuuabit eos dominus et li-
berabit eos [illegible] eos a peccatoribus: et
saluabit eos quia sperauerunt in eo.
Domine ne in furore tuo arguas
me: neque in ira tua corripias me. Quoniam
sagitte tue infixe sunt mihi: et confirmasti
super me manum tuam. Non est sa-
nitas in carne mea a facie ire tue: non est
pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Quoniam
iniquitates mee supergresse sunt caput
meum: sicut onus graue grauate sunt
super me. Putruerunt et corrupte sunt
cicatrices mee: a facie insipientie mee. Mi-
ser factus sum et curuatus sum usque in finem:
tota die contristatus ingrediebar. Quoniam lumbi
mei impleti sunt illusionibus: et non est
sanitas in carne mea. Afflictus sum

et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cor-
dis mei. Domine ante te omne desiderium
meum: et gemitus meus a te non est abscon-
ditus. Cor meum conturbatum est in me: dereli-
quit me uirtus mea: et lumen oculorum meorum
et ipsum non est mecum. Amici mei et proximi
mei aduersum me appropinquauerunt et
steterunt. Et qui iuxta me erant de
longe steterunt: et uim faciebant qui que-
rebant animam meam. Et qui inquire-
bant mala mihi locuti sunt uanitates:
et dolos tota die meditabantur. Ego autem
tamquam surdus non audiebam: et sicut
mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut
homo non audiens: et non habens in ore suo re-
dargutiones. Quoniam in te domine speraui: tu
exaudies me domine deus meus. Quia dixi
nequando supergaudeant mihi inimici mei: et dum
commouentur pedes mei super me mag-
na locuti sunt. Quoniam ego in flagella para-
tus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.
Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: et
cogitabo pro peccato meo. Inimici autem
mei uiuunt et confirmati sunt super me: et
multiplicati sunt qui oderunt me
inique. Qui retribuunt mala pro bonis
detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.
Ne derelinquas me domine deus meus: ne
discesseris a me. Intende in adiutori-
um meum: domine deus salutis mee. Domine
in celo misericordia
tua. Et ueritas tua. Reuela domino uiam tuam
℣. Domine celo misericordia tua et ueritas tua usque ad nubes
Fiat misericordia tua domine super nos. Quemadmodum
Miserere mei deus. Quoniam in te. Intel-
lige clamorem meum domine. Verba mea

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf